

investigatio hominis est propria, quod rationis est particeps: — et natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi. Itaque quum sumus necessariis negotiis, curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad beate vivendum necessariam ducimus. — In scientia excellere, pulcrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus.

CAPUT II.

SCIENTIA PABULUM ANIMI.

1. Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. — Quid enim? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? et cum maximis curis et laboribus, compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? — Quem ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui, dum in pulvere quaedam describit attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? — Quid de Pythagora? quid de Platone loquar? qui quum judicassent, veniendum sibi esse eo, ubi aliquid esset, quod disci posset, tantas regiones barbarorum pedibus obierunt, tot maria transmiserunt. Cur haec eadem Democritus? qui — dicitur oculis se privasse, certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur; patrimonium neglexit, agros deseruit incultos: quid quaerens aliud, nisi beatam vitam?

2. Carneades, laboriosus et diuturnus sapientiae miles, siquidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. Ita se mirificum doctrinae